Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35037
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

viij.

iubentur. universus reclamavit ut id opus publica pecunia faciendum locaret. Quapropter divitiis tam enerves animi spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt. Sed tamen effeminatior multitudo Cypriorum. Qui reginas suas mulierum corporibus velud gradibus constructis quo mollius vestigia pedum ponerent currus conscendentes equo animo sustinebant. Viris enim si modo viri erant vita carere quam tam delicato imperio obtemperare satius fuit.

Hec societas vitiorum lascivi vultus et nove cupiditati inherentium oculorum ac delicato cultu affluentis per quos varios illecebrarum motus voluptates animi. De crudelitate tc. ij.

Crudelitatis vero horridus habitus. truculenta facies. violentus spiritus. vox terribilis. omnia minis et cruentis imperiis referta. cui si silentium donare concessum est. adiciet ei quemadmodum ipsa se statuet. sine sugillatione quidem freneis fuerit revocata. ad summam cum penes illam sit timeri. penes nos sit odisse. Sulla quem neque laudare nec vituperare quisquam satis digne potest. quia dum querit victorias. Scipionem se populo Romano. dum exercet Hanibalem representavit. Egregie namque auctoritate nobilitatis defensa. crudeliter totam urbem atque omnes Ytalie partes civilis sanguinis fluminibus inundavit.

Quatuor legiones contrarie partis fidem suam secutas in publica villa que in Martio campo erat. nequiquam fallacis dextere misericordiam implorantes. obtruncari iussit. Quarum lamentabiles quiritatus trepide civitatis aures receperunt. lacerata ferro corpora Tiberis impatiens tanti oneris. cruentatas aquas vehere est coactus.

Quinque milia Prenestinorum spe salutis per P. Cethegum data. extra menia municipii evocatos. cum abiectis armis humi corpora prostravissent. interficienda protinusque per agros dispergenda curavit.

Quatuor milia et DCC dire proscriptionis edicto iugulatos in tabulas publicas retulit. videlicet ne memoria tam preclare rei dilueretur.

Nec contentus in eos sevire qui armis a se dissenserant. etiam quieti animi cives propter pecunie magnitudinem per nomenclatorem conquisitos proscriptorum numero adiecit.

Adversus mulieres quoque gladios destrinxit. quasi parum cedibus virorum satiatus.

Id quoque inexplebilis feritatis indicium est. abscisa miserorum capita modo non vultum ac spiritum retinentia in conspectum suum afferri voluit. ut oculis illa que ore